



15573 DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA

DE  
**SENTENTIA**  
DEFINITIVA

37 1654 10  
12

*Quam*  
Christo Clementer Adfistente  
Decreto & Autoritate Amplissimi Consilij Juridici  
in Incluta Electorali ad Albim Academia

PRÆSIDE

VIRO

*Nobilissimo Juriconsultissimo & Excellentissimo*

**DN. HENRICO COSELIO**

J. U. D. & P. P. celeberrimo, Curia Electoralis;  
Scabinatus, & Facultatis Juridicæ Assessore  
Gravissimo

Patrono, Præceptore, & Promotore suo magno  
reliigioſeq; devenerando

PRO

**LICENTIA**

ET

Privilegijs Doctoralibus capescendis

*ad diem XIX. Septembris*

In Auditorio Majori horis ante & pomeridianis

*Publico Doctiorum sistit Examini*

**CHRISTIANUS KENZING**

Königsbrugâ Lusatia Superioris.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr. Anno 1654.





DE  
JURIDICA  
SENTENTIA

DEFINITIVA

Christo Clementer & dilectore  
Decretis & decretis & decretis  
in hunc modum & hunc modum  
PRÆSIDII

1779  
J. U. D. & P. P. celebrissimo Curie Electoralis  
Gubernatore

Ratione Preceptoris & Promotoris in magno  
revisendi decessando  
1780

1781  
In hunc modum & hunc modum  
in hunc modum & hunc modum

CHRISTIANUS  
Königsberg  
1781





*Ad Clarissimum*

DN. CHRISTIANUM KEILING, pro  
summo in Jure gradu disputantem.

**H**actenus egressum nostris KEILINGE pala-  
stris

Exercere forum jurat, atq; exolvere lites

Et dare caussarum metuenti fata patronum.

Nunc non unius palmae cum laude reversus,

Pro lauru, in pretium studii exhaustiq; laboris,

Assurgens pia bella moves. Favet omne Lycéum

Conatis captisq; tuis, lateq; resultat

Plausibus, & docto gaudens gratatur alumno.

Ipsa adeo (viden'?) ipsa citis lapsa aethere pennis

Advolat, inq; tuas transit victoriâ partes.

I bone, quote Diva vocat, atq; utere tanto

Omne, perpetuosq; tibi promitte triumphos.

Augustus Buchnerus, P. P. Academ.

Senior & in praesenti Rector.

*Ad Clarissimum*

Dn. Candidatum Convictorem

& Amicum perquam dilectum

**T**endere non facile est Parnasi ad culmina montes,

Qui verò superat sat decoratus erit.

Testis erit locuplex KEILINGVS NOSTER, ab ipso

cui patre Musarum digna corona datur

Dicimus hinc merito gratantia verba, precati

Ut careat nunquam flore corona novo.

apprecab.

Gottfriedt Suevus D.



*Ad Clarissimum*

**DOMINUM DOCTORANDUM.**

**C**ui proba sedulitas, probitas cui sedula cura,  
Hic non immerito premia magna capit.  
Ob studium confertur, & ob probitatis Amorem,  
KEULINGI docte, hinc est tibi tantus honor.  
Gratulor ex animo, tantos quos partus honores  
Vergant in laudes, comprecor ipse DEI.

**PRÆSES.**

*Clariss.*

**Dn. Doctorando Amico  
integerrimo**

**N**unquam Keilingi, sudanti premia desunt;  
Certandum tamen est sudor & iste iuvat,  
Jam te tela petunt animo tamen excipe forti  
Non nisi pugnando parta corona venit.  
Tu vinctes & sceptrum geres, licet invidet hostis  
Et themis imponet mox diadema tibi.

David Cichorius,  
Lusat. J. V. D.

*Clariss.*

**Dn. Doctorando Amico & Fautori  
honorando**

**P**lura dabunt alii, quibus adstat, AMICE. Minerva  
Æquior, expedient carmina pauca meum:  
**SINT TIBI PERPETUI, QUÆS JAM CUMULARIS, HONO-**  
**RES,**  
**Atq; FERANT PATRIÆ COMMODA MULTATUÆ,**  
Johannes Schröder Magd.





I. N. D. N. J. C.



Ententiæ definitivæ impræsentia-  
rum exhibitori materiam, dispe-  
scimus eam in duo capita : Quo-  
rum prius de eius conceptione: ubi  
(*Thesis 1.*) tum Realem tum No-  
minalem Definitionem (*th. 2.*) Quis sit concipi-  
ens; *th. 3.* Inter quos; (*th. 4.*) Qua de Re; (*th. 5.*)  
Quâ Formâ concipiatur, exhibebit; Posterius  
verò de conceptæ sententiæ pronuntiatione sive  
publicatione aget. Et hîc, siquidem unus idemq;  
cum Concipiente est pronuncians eadem perso-  
næ, eademq; res, tantum 1. publicandi Formam,  
2. Sententiæ Finem, 3. Effectum, & quantum po-  
terimus, 4. ejus contraria breviter percurremus.

Quod ut cœlesti Fulgore summæq; Trinita-  
tis Favore inceptum sit succedatq; feliciter *l. 2. §.*  
*1. de vet. Jur. enucl.* Deum Tri-unum, à quo tan-  
quam summo Fonte, omnium Actuum nostro-  
rum principium & finis est petendus *Nov. 109.*  
ad exemplum sacratissimi Imp. Justiniani *l. 2. C.*  
*de offic. Præf. Prætor.* adoramus invocamus sup-  
plices.

A

CAPUT



CAPUT PRIMUM

De

SENTENTIÆ DEFINITIVÆ CONCEPTIONE.

Thesis I.

Sententia <sup>(a)</sup> definitiva <sup>(b)</sup> est iudicis inter partes causæ controversæ in iudicium principaliter deductæ absolute vel condemnatione legitima decisio.

(a) Ita enim à Definitione, siquidem exinde, quid res, de qua disputatur, sit, dignoscitur, Sigism. Scacc. l. 1. de iudic. caus. crim. & civil. n. 3. auspicamur;

§. 1. Dicitur autem Sententia à sententionando, vel sentiendo, Marant. p. 6. §. & demum. n. 2. ex eo, quod iudex secundum id, quod sentit, iudicat, l. 8. §. 3. ff. si servit. vindic. quasi sensus Existentia quia per hanc id, quod in sensu & opinione est, denotatur, explicatur arg. l. 19. §. 1. ff. de Recept. Qui Arbitr. recep. ut sent. dic. l. 8. at cum humana C. Qui testam. fac. poss. Wesenb. π. de refut. n. 3.

§. 2. Hinc sententiæ vocem πολύσημον esse, & quandoque alicujus opinionem l. 22. de Arbitr. l. hac Consultissima, §. & cum C. Qui testam. fac. possunt; quandoque quod verba sonant,

ut



ut cum dicimus, *Jurum in hanc vel illam sententiam respon-*  
*disse*; quandoq; insignia & elegantia dicta quæ Græcis *νό-*  
*μας* dicuntur; quandoq; verò votum, ut cum dicimus, ex  
animi sententia ei omnia fluunt; quandoq; consensum & vo-  
luntatem *l. fin. C. Ubi & ad quem cognit. in integr. restitut.* quan-  
doque deniq; consilium *l. fin. § 1 ff. de Senator. l. fin. C. de vendend.*  
*reb. Civitat. & c.* denotare, liquidò constat. At nobis Judi-  
cis dijudicandæ litis decretum & pronunciarum, quod non ad  
ejus proprii capitis sensum, aut voluntatis suæ domesticæ pro-  
positam, sed potissimè legis atq; juris auctoritatem *arg. l. 1. §. 4.*  
*ad Sct. Turpill. directum & ordinatum sit, significat, gloss. cum*  
*olim, de Testib. Wesenbec. π. de re judic. n. 3.*

§. 3. Apud Gallos sententiæ supremarum Curiarum si-  
ve Parliamentorum dicuntur Arresta, ab *arrestes*, quod signifi-  
cat gradum inhibere, sistere, eò, quod oporteat in illis acquie-  
scere, nullaque appellatione infringi aut suspendi liceat *l. 1. ff. à*  
*quib. appell. non licet.* Petr. Peckius *de jure sistendi num. 1. & seqq.*  
Germanis solet ein *Brithel Bescheid Termin. in Process. c. 227.*

(b) A definiendo dicta, quod per hanc Judex negotia  
principaliter controversa definiat ac determinet *arg. l. sicut au-*  
*tem, §. 3. ff. Si ser. vindic. Marant. p. 6. de sentent. n. 1. Termin. d. c.*  
*227. n. 1.* quæq; appellatione sententiæ in dubio semper intelli-  
gitur *gl. in l. 1. §. biduum, §. ff. Quando appell. sit.* Germanicè dici-  
tur ein *Endurtheil.*

§. 1. Hic licet Alii plures sententiarum faciant species,  
dum & Judicis Præceptum, quod tamen ante litis contestatio-  
nem, sententia verò post judicium fertur *l. 1. C. de Execut. Rei*  
*judic.* Decretum, quod iterum causa summariter cognita à no-  
bili judicis, non mercenario officio, uti sententia interponitur  
*l. 8. ff. de Edendo. Wesenb. π. de re jud. n. 4. & Multam denique*  
quæ extra tamen judicium imponitur, judexq; hujus impositio-  
ne suo functus officio non dicitur *arg. l. 6. in fin. ff. de offic. Præsid.*  
sed abusivè adjiciunt; Nos tamen, rejectis his, unicam tan-  
tùm adhuc, quam vocant Interlocutoriam, ab interloquendo  
dictam, quia inter cognoscendum & ante sententiam Judex in-



terdum jubet vel vetat aliquid, quod non super principali negotio, sed emergenti aliqua Quæstione sive articulo inter principium & causæ finem interloquendo fertur, & propriam dari sententiam, asserimus, *Clem. 1. vers. definitiva de Sequestrat. possess.* Quanta inter Definitivam & interlocutoriam existat differentia vel ex his affatim patescit, pluresq; congescit *Marantz in Spec. aur. p. 6. de Sentent. n. 3. & seqq.* quo etiam brevitatis studio nos remittimus. Latine dicitur iustus & præceptum Judicis, græcè *Διζλάλητα* *Gothofr. ad N. 112. c. 2. lit. Q.* Hillig. ad *Donell. libr. 27. c. 1. lit. B.* Germanicè *Beurtheil* peculiari verò nomine ein *Bescheid* appellatur. *c. 36. x. de Testib. l. 12. C. de reb. credit. Chilian. König. in Process. c. 101. von denen Beurtheiln. Vultej. Tractat. de judic. libr. 3. c. ii. n. 8.* Atq; hinc etiam in Conclusionè Interlocutoria zum *Bescheid* gesest / in definitiva verò zum *Urtheil* geschlossen dicitur *idem Vult. libr. 3. c. 9. n. 4.*

§. 2. Et hæc duplex est, una simplex & propria, quæ in terminis articuli istius super quo lata est, subsistit, neque Effectum suum ad negotium principale extendit, & potissimum ordinem judicarium respicit, veluti, si iudex pronunciet, super lris contestatione, an lis fuerit contestata nec ne; An dilatio sit concedenda, An disputationes in causæ meritis admittendæ sint vel rejiciendæ &c. Mixta altera, quæ extra terminos suos progreditur ulterius, controversæ rei principali præjudicium faciens, & momentum ad condemnationem vel absolutionem afferens, & hæc ipsa causæ merita concernit, ex quo Interlocutoria vim definitivam habens, dicitur. cumq; nostra definitiva, vocabulo isto largo modo sumpto, quo ad cætera pari jure habetur, quæ autem hæc sint, & quomodo cognoscantur, plenius *Felin. in Rubr. de Judic. Marant. in Specul. p. 6. §. 5. de mùm n. 24. & seqq. Gail. 1. Observat. 130. n. 6.,* docent. Nos sepositis iis, de hæc, & quidem secundum causas, quæ in definitione singulæ habentur, despiciemus, subjiciendo.

*Thesin*



# Concipiens sive Causa Efficiens est Judex<sup>(a)</sup> compe- tens<sup>(b)</sup>

(a) l. 28. ff. de Re judic. l. 1. & 2. C. de sent. ex brev. recit. qui jurisdictionem vel saltem Notionem habere debet, l. 3. C. de jurisd. Treutler, vol. 2. disp. 23. th. 2. lit. B. à judicando dictus ex eo, quod de facto judicet, Britheller, Ord. Cam. p. 1. tit. 13. non verò à juredicendo q. jus dicat, uti Varro libr. 4. de Lingua latina. Vult. c. 1. Jurispr. Rom. libr. 2. & alii volunt, siquidem jus propriè non dicit, sed antea dictum, tantummodo dicitur, explicat, declarat, & facto, de quo cognoscere debet, applicat & accomodat; Nam Jus dicere solius est magistratus l. pen. de 7. & 7. l. 2. §. 13. de O. jur. Judicare verò judicis est proprium, l. 12. §. 7. ff. Qui notant. infam. atque ex illo Magistratus, ex hoc autem Judex appellatur d. l. 1. ff. de Jctio. l. fin. C. de alim. pupill. prest. l. 4. §. 1. ff. de Interr. in jur. fac. quamvis non ignoramus, quod vox Judicis tam latè in Jure nostro, ut & magistratum denotet, sumatur, l. 5. ff. de Re jud. tot. tit. C. de jurisd. omn.

§. 1. Describi potest, quod sit persona, quæ præest Judio inter litigantes medium agens. adeoq; Judio Dux & Imperator, Bald. in Rubr. C. si. à non compet. n. 2. eò, quod processum Judicarium dirigat, litigantibus, quid faciendum, ex sibi à Magistratu præscripto jure præscribat, mandet, jubeat, imperet, seq; deniq; tanquam inter litigantes medium & auctoritatem publicam, quæ fultus est, interponat, non sine causa dicitur.

§. 2. Alias Jur. Canon. Hodiè sunt vel ORDINARIJ, Jurisdictionem proprio jure sive beneficio Principis exercentes die einen freyen gericht's zwang haben l. 5. de Jctio. Specul. lib. 2. part. 1. §. 1. de offic. ordin. vel EXTRAORDINARIJ ab alio limitatam



actionem habentes *c. 15. de Offic. Delegat. Marant. disp. 1 n. 33.* Qui  
in DELEGATUM (qui Commissarius vocari consuevit) ex com-  
missione superioris actionem suscipientem *l. 1. ff. de offic. ejus, cui  
mand. est. l. 10. Emer. à. Rosb. tit 5. n. 2. qui & SUBDELEGATUM ha-  
bere potest, c. 27. vers. intentionis, X de offic. Deleg.* In ARBITRUM sive  
Compromissarium, communi partium consensu, ut finem sua  
sententia (quæ Laudum dicitur, à quâ non est appellandum  
*l. 1. 26. §. 2. 2. ff. de Recept. Arb. Carpzov. ad. constit. Elector. Sax. p. 1.  
C. 1. d. 14. n. 6.*) controversiis imponat, electum *l. 13. §. 2. ff. de Recept  
Arbitr.* Ein willkürlicher Schieds Richter Niedersach und Ob-  
man Fibig. *in suo Process p. 1. memb. 3. §. 6.* In ARBITRATOREM sive  
amicabilem Compositorem, secundum æquitatem sibi visam  
ordine processus neglecto pronunciantem Ein gültlicher untere  
händler *Auth si v. contigerit. §. Gloss. ad verb. annotationem C. de  
Judic. Speculat. 1. p. 1. §. 1. non incommode dividuntur.*

§. 3. Sit Vir bonus, atq; talis, ut nullus in eo vel con-  
tra Naturam, Legem, vel mores deprehendatur Defectus; Nam  
si à muto, surdo, perpetuò furioso, morbo fontico perpetuò  
laborante, senatu ob turpitudinem moto, literarum rerumq;  
imperito, excommunicato, Fœminâ, vel seruo sententia fer-  
tur, nullius est momenti, *l. 12. §. 2. ff. de judic c. l. 40. de R. J. l. 60. de  
Re Iud. Secus tamen est in Cæco l. 6. de judic. quia cœcitas men-  
tis non oculorum judicio est impedimento, Donel. libr. 17. c. 24.  
lit. N.* Et quantumvis militem judicare posse *ex l. pen. C. de  
judic. l. fin. C. de Re militar. constat, attamen alius non quàm cau-  
sarum peritus admittitur; Quod idem etiam in Mercatoribus  
de rebus ad mercaturam pertinentibus, In Artificibus de rebus  
artificii sui, obtinet l. 6. §. fin. C. de Jurisd. l. 12. de statu Homin.  
Hillig. ad Donell. d. loc. lit. F.* Artifici namq; in arte credendum, *d.  
l. 22. de st. Hom.* In Terris Saxonis minus dubii habet, dum etiam  
ex Rusticis judices Pagorum & Scabini des Dorffs Richter und  
Schöppen/ constituuntur & judicant, ita tamen ut in causis  
arduís ad dirigendum Processum Notarium adhibeant, actaq;  
ab hoc conscripta ad Lipsensium vel Wittebergensium Sca-  
binatus transmittant & ab his super actis sententiam petant,  
quam



quam postea publicare non prohibentur, inq; rem judicatam transit. *Constit. Elect. 26. p. 1. N. G. D. tit. 2. von den Gerichts. Secretarien. S. Ob wir auch geschehen lassen können | Berlich. Dec. 109. Dan. Moller. ad Constit. El. 23. p. 2. n. 15.* Ita quoque quod respectu Foeminarum moribus introductum erat, contrariis moribus iterum est abrogatum, si scilicet Foeminae Ictiorem vel jure hereditario, vel consuetudine, vel lege aliqua municipali exercent *c. 4. x. de Arbitr.* Exemplum est in *Abbatissa c. 12. X. de Major. & Obed.* In Angliæ Siciliae Reginis, & aliis, *Tiraquell. de jur. Primog. q. 10. P. Greg. de Rep. ii.*

(b) Sit etiam competens, *h. e.* congruus, ad suscipiendum judicandi officium idoneus *l. 3. 28. ff. de re judic. & ad quem causæ cognitio pertinet l. pen. ff. de jurisdictione l. 2. 3. C. de sentent. ex brev. recit.* Quod si enim vel conditione Loci, ut, quia extra territorium suum judicat *l. 3. de Offic. Presid.* vel conditione PERSONÆ utpote, quia in eodem Territorio in alias quam suæ jurisdictioni subjectas personas jus dicit, cujusmodi sunt: Judices militares; Academiarum Rectores quorum cognitio non est, nisi inter Scholares & alios Academiarum Cives, itemque inter Reos, & Actorem extraneum *Auth. habita C. ne filius pro Patre.* Vel CAUSÆ ut quia Laicus de causis merè Ecclesiasticis & vice versa, &c. cognoscit *c. 2. & 3. X. de judic.* Vel deniq; TEMPORIS conditione, puta, si judex est præventus, (de quo, ut firmiter constituatur, & efficaciter opponi possit, scilicet, oportet judicem in eadem causa cum alio judice concurrentem per se: in actu: in solidum: habere jurisdictionem, consulendus est Magnificus Dn. Ordinarius D. Augustinus Strauch Patronus & Præceptor meus, venerandus in *disput. sua Inaug. de Prævent. Jurisdictione th. 33. & seqq.* excedat vel deficiat, lata sic ab eo sententia, nullius ponderis erit, neque etiam vires rei judicatæ accipiet *N. 15. c. 3. §. fin. N. 82. c. 5. l. fin. de jurisdictione Vant. de Nullit. ex defect. jurisdictionis.* quomodo enim ab eo, qui jus dicendi potestatem non habet, judicatum dici poterit *l. 1. §. hæc autem Quod quisq; jur.* Hinc est, quod quisq; Judicem jurisdictionem tanquam Potestatis suæ fundamentum, num Ordinarius, De-  
lega-



legatus, vel Subdelegatus sit Iudex, ut exinde, quanta ipsi Jurisdictione attributa sit, an id, de quo agitur, ad ipsius jurisdictionem pertineat nec ne, sciri possit, exprimere debet, alioquin uti Privatus statuit & pronunciat *dd. NN. § l. 5. de Rejud. l. 10. C. de Sentent. § Interl. omn. jud. Gail. 1. observ. 35. n. 4.* Ita quoque in Delegatione Commissionis tenor diligenter est inspiciendus, Nam si plures uni causae delegantur Iudices, vel ut conjunctim & singuli *Samt und Sonders* vel ut non singuli, sed conjunctim cognoscant, delegantur; Priori casu singuli Iurisdictionem in solidum habent, & quilibet per se solus cognoscere potest, cui itaque horum impetrans, eo animo, ut solus cognoscat, commissionem insinuet, is ceterorum Iurisdictionem praevenisse dicitur; Etenim ex Impetrantis voluntate, utrum uniduntaxat, an aliquibus, an verò omnibus commissionem insinuare velit, dependet: Posteriori vero casu non singuli sed omnes Delegati conjunctim in uno corpore sive Collegio Iudicem constituentes Iurisdictionem habent, ita ut unus sine altero cognoscere nequeat *c. 8. in dno. § c. 16. 21. X. de Offic. Delegat. Quod si tamen aliqua causa Tribus vel pluribus committatur, unusque illorum vel, quo minus interesse possit, impediatur, illudque notificet, vel contra sentiat, vel etiam per contumaciam abfuerit, duo nihilominus procedere possunt, & valet sententia l. 39. ubi Duaren. ff. de Rejudic. d. c. 16. § 21. de offic. delegat.* Atque ex his, quantus competentiae Effectus & vis, & quam strictè ea in iudice sit observanda, patebit sat super, nisi Exceptionis declinatoriae Incompetentiae Objectione recusari, litem facere suam, *l. ult. C. de Extraord. Cogn. De Syndicatu teneri Pruckman. conf. 50. n. 502.* Simul ac ipsi quoque laesae parti ad omne Interesse resarciendum Actione in factum compelli velit, *Schmder. in Tract. Feud. p. 1. quest. 1. n. 10. Gail. 1. observat. § 3. n. 4.*

*Thesis*



*Thesis III.*

Concipi debet sententia  
Definitiva inter personas Li-  
tigantes <sup>(a)</sup>.

(a) Qui & Litigatores, Partes dicuntur, unde nobis ap-  
pellatio die Partheyen inter quos est de re aliqua controversia,  
ut ait Justin. §. 1. *f. de Action.*

§. 1. Qui aut principales ut Actor & Reus *l. 13. ff. de ju-  
dic.* modò utrinque unus, modò utrinque plures, modo ex hâc  
modò ex illa parte unus, nobis in civilibus ein Kläger/Beclag-  
ter in criminalibus verò causis ein Ankläger/und Angeklagte est,  
vel plures qui litis consortes Consorten / Mischriegs-verwanten  
dicuntur, de quibus est peculiaris titulus in *Cod. libr. 3 tit. 40.*  
aut Accessoriae sunt: & hi. 1. aut NOMINE PROPRIO, idq; vel vo-  
luntariè sponte sua, non citati, ut Tertius Interveniens (qui  
& Actor & diverso respectu etiam Reus esse potest.) vel coactè  
& citati, uti Coheredes & correi; aut 2. NOMINE ALIENO; & hoc  
iterum vel publica, ut Tutores, Curatores, Pupillorum, Mino-  
rum, Mulierum, Bonorum, Syndici, &c. vel privatâ auctori-  
tate ut Advocati, Procuratores; aut 3. NOMINE PROPRIO ET ALI-  
ENO SIMUL, ut sunt Denunciati, Cessionarii, accedunt; *Rosbach  
prax. Civ. tit. ij. §. seqq. Umm. disput. 1. §. seqq. Fibig. in suo proc. m. 2.  
§. 1. §. seqq. .1. §.* Et cum Procuratores litè contestando ejus  
Domini fieri dicantur, *l. 22 23. C. de Procur. c. 1. §. 2. eod. in 6 to.*  
sententiam in eos, causa absente principali legitimè peractâ,  
concupiendam & ferendam esse *l. 1. C. de Sentent. §. inter. l. omn.  
Jud. l. pen. C. Judicat. solv.* cõmuniter quidem placuit, id tamen in  
Jure Canonico necessarium non est, sed alterutrum, ut vel in  
personam Procuratoris vel Domini principalis dirigatur, per  
*gloss. & Panorm. in c. suscit. 6. de in integr. Restitut. §. c. querelam.  
24. X de Edict.* quam sententiam etiam pleraq; Judicia Saxo-  
nica hodiè sequuntur; Licet in aliis Judiciis tum ab hac, tum  
B ab



ab illa opinione recessum sit, ita ut ne jus quidem commune in sententiâ concipiendâ contra Procuratorem observetur, sed concipiatur contra ipsum Dominum principalem *l. 63. de Re judic.* Quod posterius etiam in Camera indistinctè, si vè principalis adfuerit, & litem contestarit, si vè non, observari Testes sunt Gail. *l. obj. v. j. n. 2.* & Mynsing. præterquam in causis injuriarum atrocibus, ubi sententia in Procuratorem ad evitandam infamiâ aut proarbitrio judicis etiâ in principalem ferri poterit Gail. *libr. 2. obs. 102. n. 7.* concipiendâ ulterius in citatum, *l. 47. ff. de Re judicata.* in personas standi in judicio habiles, *l. 6. C. Quomodo. Q. Judex.* in absentem etiam contumacem *l. 7. d. 1.*

*Thesis. VI.*

Res si vè Materia de qua Sententia Definitiva concipienda venit, est omnis Causa <sup>(a)</sup> in iudicium principaliter deducta <sup>(b)</sup>

(a) Hæc licet docente Isidoro *libr. 18. Origin & Judicii* sit Materia; propriè tamen loquendo dum proponitur est causa; dum discutitur est Iudicium, dum finitur Jus seu justitia est, *l. 25 ff. de statu Homin. Wesenb. n. de Re judic. n. 8.* cum PRIVATA ut pote, de Tutelis, hereditatibus &c. cum PUBLICA quæ vel publici Juris, quando agitur de Imperio, Territorio, Comitatu, Religione quæ non in iudicio, sed senatu aut extra ordinem inter Arbitros disceptari solet, vel publicorum iudiciorum, puta, læsæ Majestatis, Falsi, Repetundarum; quibus affines sunt causæ Fiscales, puta, fractæ pacis non servatæ Politicæ, Conspirationis cum Turcâ vel hostibus imperii, de ope & auxilio contra vagos milites denegato &c. *Ordin. Cam. p. 2. tit. 2. ult. eaq;* vel CIVILIS vel CRIMINALIS *l. 1. ff. An per alium Cause Appellat.*

SE.  
CULA.



CULARIS vel ECCLESIASTICA l. 2. graviter C. Theodos. de Episc. Judic.

(b). Dummodò injudicium principaliter deducta sit, esse poterit. Nam uti Ictus ait; Ultra id, quod in Judicium deductum est excedere potestas Judicis non potest, l. 18. ff. Comm. Divid. l. ult. C. de Fidei commiss. libert. Wesenb. x. de Re. Judic. n. 6. Ratio est perspicua, quia hoc solum inter Litigatores est controversum. Judex autem sententiâ suâ id agit, ut litem dirimat, & controversiæ finem imponat l. 1. ff. de Re Judic. Quid autem in sita lite, & in Judicium deductum In Causis equidem Criminalibus ex ipso Jure l. 1. ff. ad Turpill. In causis verò Civilibus ex ipsius Actoris petitione metiendum esse putamus l. solemus 6. ff. de Judic.

§. 1. Et cum quædam expressè quædam tacitè petantur, in illa, omne quod intentionis verbis complectitur, quod Actoris interest, quantumvis de eo Reus non senserit, præterquam si ab Actore id nominatim sit exceptum, aut post litem contestatâ acciderit, in judicium venire asserimus d. l. 61. & l. non potest, 23. ff. de Judic. In hac vero omnes rei petitiæ accessiones & fructus tum judicii accepti tempore stantes & pendentes, tum percipientes intelliguntur, l. 2. ff. de usur. l. 25. §. 8. ff. de Aeditio. Edicto. l. illud. 40. de Hereditat. Petit. Nā qui fundum petit, etiamsi nihil adjiciat aliud, hoc ipso tamen id omne, quod petitor ex fundo percipere potuisset, is si quantum primum restitutus ipsi fuisset, petere intelligitur, quod tamen in perceptis fructibus scæus est, illi enim nunquam, nisi expressè petiti fuerint, d. 2. item sciendum 8. in judicium deducti præsumuntur, ea siquidem, quæ ante litis contestationem percepta sunt, non amplius pars fundi sive rei sunt, sed per se proprium corpus constituunt atq; separatum.

§. 2. An autem expensæ sub his veniant quæstionis erit? & sanè, quin Judex Victum victori in expensas litis tum judiciales tum necessarias & utiles vel ob victoriam Causæ l. properandum 13. §. sin autem 3. de judic. vel ob Contumaciam. c. 1. de Dolo & contum. in. 610 vel ob retardatum processum l. 4. C. de fructib. & litium expens. provenientes, licet petitiæ à victore non sint, condemnari possit, ipseq; victus solvete teneatur c. finem litibus 5. X de dolo. & contumac. nullum est dubium; dum



modò extrajudiciales Adversario citato, & præsente, à Judice  
taxentur, superq; hac, victor juraverit in *Auth. post jus jurandum*  
*C. de judic.* Quod idem etiam in Foro Saxonico observari tes-  
tes sunt *Berlich. p. 1. Concl. 78. Rotschitz in process. p. 1. art. 43. n. 4. 5.*  
In Camer. verò Imper. si summa 20. Rhenenses florenos non  
excedat, victori simpliciter absq; juramento adjudicantur,  
*Gail. 1. observ. 151. n. 12. Mynsing. in §. hac. a. omnia. Instit. de Pœnis.*  
*temere Litig.* Et hoc est regulare, nam datur etiam Casus, licet  
unicus, quo victor è Contrario victo in expensas condemnatur,  
utpote, si contumaciter nunquam comparuerit, id quod in  
poenam fit Contumaciæ de quo testatur Practica in omnibus  
Judiciis recepta sat super.

*Thesis V.*

Forma<sup>(a)</sup> Sententiæ con-  
sistit in eo ut vel RITE<sup>(b)</sup> vel  
RECTE<sup>(c)</sup> concipiatur.

(a) Hæc jure quasi suo materiam excipit quæ propter  
*tribueresuum esse l. 9. § 3. ff. ad exhibend.*; ne, non servatâ à Lege  
vel homine datâ formâ corrumpat actus, *c. 22. X. de Rescriptis.* pro-  
bè & quam diligenter est observanda.

§. 1. Sciendum equidem, in sententiis concipiendis  
Veteres maximè sollicitos fuisse, ut & certas abhibuerint for-  
mulas, quas inter celeberrima illa est, quæ utitur verbo *videri*  
id quod Cicero *lib. 4. Academ. question. modestiæ causa* fieri  
dicit, Nam Reus licet convictus esset, Judex tamen *Videris fecis-*  
*se* dicebat; ita *n. lib. 4. in verr.* Vix ille hoc dixerat, cum ille  
pronunciaret, Sthenium literas publicas corrupisse *Videri* sic  
*Livius lib. 25. videri eum in exilio esse;* Quæ & aliæ plures apud  
*Brillon. lib. 5. de Solen. P. R.* offendi possunt formulæ.

(b) RITE, hoc est, ad judicarium processum, in hunc si  
impingat, non ritè, sed nulliter concepisse sententiam Judex  
dicitur. Hinc ut evitetur, ad Judiciorum substantialia, quo-  
rum



tum quædam ex ipsâ naturâ fluunt, *arg. l. 2. §. 1. ff. de usur. l. 72. ff. de contrab. Empt. Mozz. de contrab. tit. de Societ. col. 4. n. 1.* quæ nec in Ordinario, nec in Summario omittenda processu; quædam verò à Jure Civ. constituta sunt, quæ in Extraordinario, (non tamen ordinario,) si omittantur, nihil impedit, attendendum probè est.

§. 1. Itaq; concipiatur (1) JUDICE PRO TRIBUNALI SEDENTE, *l. 4. C. de Dilat. N. 82. c. 3.* Nam cum res de qua acturus est Judex plenariam desideret cognitionem, sedendo verò & quiescendo animus fiat hominis prudentior, *Roland. à Valle vol. 1. Conf. 41. n. 15.* Sedere ergò, & composito animo esse judicis omninò erit. *Rittershus ad pr. Instit. de Offit. judic.*

§. 2. Concipiatur (2) CITATIS ET AUDITIS PARTIBUS, FACTAQ; LITIS CONTESTATIONE. Citatio namq; præcipua omnium est, *§. fin. Inst. de Pœna temerè litig.* quæ si omittatur, processus redditur nullus *c. 1. X. de Causa Possess. & Propr.* Idem si illegitima sit, de cujus requisitis videndus est dictus Magnus Dn. Ordinarius D. Strauch *d. disp. th. 57.* omnium tamen maximum est requisitum, ut habeat spacium congruum, quod de JURE CIV. in causis civilibus, si dilatoria est 10., si peremptoria 30. *l. 68. & seq. ff. de Re judic.* In causis vero criminalibus 3. JURE CODICIS, quandoq; 20. *Nov. 53.* quandoq; 30. *Nov. 112. c. 3.* intra quod pars sui copiam facere debet, secus si per annum cessaverit Actor, quin causa cadat sua, nullum est dubium. JURE CAMERALI pro loci longinquitate & propinquitate arbitrarium, *Gail. 1. observ. 53 n. 20.* JURE verò SAX. licet antea 5.; hodiè tamen 6. Septimanarum & 3. dierum est constitutum. *Appell. Ordn. tit. 4.* Wie wieder die Aussenbleibende / S. würde aber / N. G. D. tit. 4. von der Citation. S. auch daneben einen rechten legalem Terminum seine Nothdurft zubedencken haben möge / cui concordat *tit. 20. N. G. D. §.* Im fall aber / quod currere à die (qui tamen non computatur) insinuationis incipit *c. 12. X. de Appellat. N. G. D. ibi* und er von der Zeit, Et si unus defuerit dies, citatio ipsaq; sententia nullius erit momenti Berlich. *Concl. 10. n. 15.* Jurisconsultissimus Dn. D. Johann-Barcholomæus Reußner in *Disput. sua de FATO, in augur. th. 114. & seqq.* Quod ampliatur, sive ipse



ipse, sive ad ejus, aut partium Consultationem alius, puta, consi-  
lium Prudentum, concipiat sententiam, (id quod Judices, ex re-  
quisitione utriusq; vel alterutrius partis, aut ex officio faciunt,) Litigantes tamen ad eligendum Collegium, simul ac conferen-  
dum, inrotulandum, & sigillandum Acta, quod necessarium  
est, *l. fin. & ibi gl. C. de Relat. citari debent, ne quid illis addatur  
vel detrahatur Schrader. in d. tract. Feud. p. 10. Sect. 14. n. 31. & seqq.*  
Atqui cum legalis ista dilatio eum in finem, ut deliberare pos-  
sit Reus, cedendumne sit ei an contendendum, concedatur,  
*l. i. ff. de edendo. audiantur, antequam concipiatur Sententia,  
Partes, necesse & æquisimum erit, l. ult. C. si per vim.* Hinc est,  
quod dicitur, litis contestationem tanquam initium Judicii,  
quæ non, nisi per petitionem in Jure propositam & responso-  
nem subsequutam fieri potest, ante omnia præcedere debere, ne  
eâ omissâ totus corruat processus *l. un. junct. Auth offeratur C. de  
litis contest. c. un. X. de Litis contestat. Ordin. Camer. p. 3. tit. 32. S.  
und sollen. Gail. 1. observat. 78. n. 1. & seqq. Zanger. de Except. c.  
2. n. 8.*

**S. 3. Concipiatur (3) PROBATIONIBUS, REPROBATIONIBUS, DISPUTATIONIBUS ET CONCLUSIONE IN JUDICIUM RITE DEDUCTIS.** Judex namque ex his in Sententia concipienda ani-  
mi sui motum formare, & factum controversum, quod est in-  
ter litigantes, dirimere potest, *l. 3. §. 2., l. 21. §. ult. ff. de Testibus.*  
Itaq; rectè Probationes de Judicii substantia, & necessariissi-  
mas esse Interpp. Jurium monuerunt, *Cravett. Consil. 265. n. 5.*  
*versu, non obstat* (quas tamen tum demùm locum habere intel-  
ligimus si inter controversantes vera sit lis, quæ in Casu Noto-  
rii, præsertim ex confessione Adversarii nulla est, Nam is si con-  
fiteatur absolutè & simpliciter intentionem, omnis quæstio &  
lis tollitur, neq; ullâ opus erit probatione, sed succedit protin-  
us juris illa Regula, quâ dicitur: *Nullas esse Judicis in con-  
fessum partes alias, quàm in condemnando l. fin. C. Quib. ad li-  
bertat proclam. non licet.*) quæ si adductæ haud fuerint, conse-  
quens erit, ut à non probantis petitione conventus planè absol-  
vatur, *l. qui accusare 4. C. de Edendo. c. fin. X. de jurejurando.* siqui-  
dem ex Actis & probationibus justificatur, *c. ad sedem X. de Re-  
stit.*



*stit. spoli. c. presentata X. de Testib. suamq; recipit sententia interpretationem. Panormitan. hic. §. inter Ceteros n. 8.*

§. 4. Postquam jam in Causa propositis omnibus allegationibus conclusum est, quod fit in Dilatoriis usq; ad Duplicam; In Peremptoriis verò Exceptionibus ad Triplicam usque procedendo *Ordin. Cam. p. 3. tit. 26. §. Wo aber/ Constit. Elector. 2. §. 9. p. 1.* Ita tamen ut salva Judici pro qualitate Causæ in his dispensandi remaneat potestas, Nobilissimus Dn. D. Gottfried Suevus *d. Velitat. 17. th. 7. §. 12.* non statim ferenda est Sententia neque enim sufficit ut Ritè omnibus processus substantialibus observatis, quo *Nullitas;* sed ut etiam

(c) RECTE (id quod ad causæ merita pertinet,) quo *Iniquitas* evitetur, eam concipiat Judex, insuper requiritur, Id autem si fieri oporteat, omnium primum Actionis genus investigandum sedulo est, quod, Actio si sit civilis, ex libelli conclusione; si criminalis, ex Delicti Qualitate apparebit.

§. 1. Inde est, quod (s) SENTENTIA PETITIONI & LIBELLO, non equidem respectu conclusionis libelli, (quo casu omnis sententia foret condemnatoria, & Reus cum semper actor eum condemnari petat, nunquam absolveretur,) sed ratione tum rei petitæ, in quâ, tum causæ, ex quâ, tum Actionis institutæ, secundum quam condemnetur, CONFORMIS ESSE DEBEAT *l. ut fundus 18. Comm. dividund. c. licet. in de simmoniâ Schneidw. ad §. si quis agens 33 iustit. de Accionib. n. 40 §. seq: denn mann vor allen dingen/ was diß falsß vor eine Klage angestellet/ sehen/ zumahl nach derselben erkand und das Urteil reguliret undt confirmiret wird/ Wesenb. consil. 13. p. 1. n. 1. §. conf. 66. n. 24. p. 4. Chilian. Goldstein in præct. c. 65. n. 10. Nam si discrepent, sententia nulla erit. l. ult. D. de Fideicommiss. Libertat. Gothofr. ad. d. l. ut fundus 18. lit. O.*

§. 2. Deinde videndum est, an & quando Actio sit probata, nam si id factum non sit, in promptu est absolutio, etiam si Reus nihil præstiterit. Et, si probatam esse appareat prospiciendum iterum, an, & quid defendendo sese Reus actioni opposuerit, & an defensiones illæ sint probatæ, & quando, ut intelligatur Actoris intentio esse elisa; nam si & hoc factum non sit



fit, in promptu est rei condemnatio, nisi forte replicatione exceptio perempta sit, & sic deinceps. Atq; ita Actoris & rei rationes, probationes, & jurium allegationes conferre, ipseq; etiam uter eorum melioribus & firmiteribus rationibus atq; probationibus utatur, ut decernat quid pronnuciandum sit, animadvertere debet.

§. 3. Idq; ipsum est quod dicitur (6) SECUNDUM ACTA ET PROBATA NON VERO PRIVATAM CONSCIENTIAM JUDICEM DEBERE CONCIPERE SENTENTIAM, l. 6. §. 1. ff. de Offic. Presid. c. pastoralis versu quia verò X. de officio Delegator .c. judicet 4. caus. 3. q. 7. Nam si secudum veritatem Judex judicare necessum habeat l. rem novam 14. C. de judic. veritas autem in judicio ea, quæ aut liquidò probata, aut certè per legem præsumpta est, dicitur l. penult. ff. de Probat. c. 1. juncto. c. laudabilem de Frigid. & Malefic. Alciat. in c. 1. n. 84. X. de offic. Delegator. Atqui probatio aliter non nisi per testes & instrumenta fieri potest; à testis persona autem Judex in ea causa, in qua Judex est, abest quàm longissime; quoad instrumenta v. ipsi exhibita, etiamsi ex his vel Actoris vel Rei jus judici liqueret, non tamen ex illis Sententiam, nisi debito modo in judicium producta sint, ferretur c. cum dilectus 9. X. de Fide Instrument. Quomodo ergò secundum privatam Conscientiam, ut pote, quæ pro legitima probatione ex qua quis condemnari vel absolvi debeat, nullibi habetur, immò ejus privatæ conscientiæ, omne id, quod peragendum publicè, committi, quippè quo ambitioni gratiæ & sordibus occasio præbeatur, periculosum sit, judicare judex poterit? l. 6. §. 1. ff. de offic. Presid. Non tamen ex hoc inferendum est, quasi eo ipso contra Conscientiam judicandi necessitas imposita sit judici, causam siquidem vel ad superiorem deferre, vel differre, vel eam etiam (maximè criminalem in qua vitæ & existimationis vetitur periculum, ac proin cautius ambulandū) depositâ judicis personâ sive officio suo Testimonio instruere potest, Nobilissimus Dn. D. Suevus d. velit. 17. 9. 12. lit. D & per hunc Citat. Vasqu. libr. 1. controv. c. 14. Treutler. volum. 1. disputat. 12. 9. 14.

§. 4. Omni



§. 4.) Omnium tamen maximus in iudicem rejicitur labor, dum (7) SECUNDUM LEGES CONSUETUDINES CANONESVE SENTENTIAM CONCIPERE DEBET, *pr. instr. de offic. judic. Nov. 115. §. 1. & Authenti. inbemus C. de judiciis. c. summopere ij q. 3. c. judicantem 31. q. 5. c. 1. X. d. offic. ordin. contra leges, & c. n. ex manifesto qui in oculos incurrit, errore lata sententia nulla est l. 19. ff. de Appellat. c. inter. de Rejudic. neq; consensu partium sit valida Frider. Prukman. cons. 8 n. 304. Secus tamen est in errore juris, qui non oculis, sed ex tacita relatione ad Acta deprehenditur, tunc etenim valet Sententia, siquidem ad infirmandum actum Taciti & expressi non est eadem decidendi ratio, Vant de Nullitat. Sentent. n. 122. Zanger. de Sent. & Rejudic. c. 1. n. 68.*

§. 5.) Atq; hoc de omnibus indistinctè verum est iudicibus, uti constat ex *Nov 8. §. quod. v. & Nov 82. §. fin.* Falluntur n. qui in Magistratu secus esse existimant, quasi illis concessum sit iudicare, prout æquum visum fuerit, etiam si id contra jus atq; leges sit, nam quod in *Auth. bodiè C. de judic.* habetur, illud ex *d. C. 8. tit. 3.* interpretandum venit, dum enim ibi omnem æqualitatem, & pro ut jus & æquum videbitur, nihil aliud, quàm se jus servaturum jurat, scilicet uti nos loquimur, *besten Berständnis nach.* Ast quid, si jus ab æquitate aliud esse videatur, statuendum? Respondet Constantinus Imperator; Potiorem esse debere in omnibus justitiæ æquitatisq; quàm stricti juris rationem *l. 8. C. de judiciis.* Id etenim in singulis causis jus est, quod est æquum, unde jurisprudentia, non tantum juris, quàm æqui rectè, quod nimirum Jcti officium in eo, ut æquum statuatur, sit, definitur, *l. 1. ff. de Justit. & jur. l. 24. §. 1. ff. de Minorib.*

§. 6. Ulterius (5) CERTA SIT SENTENTIA requiritur, quæ enim sine certa quantitate profertur, & ex qua, quid, quale, quantumq; præstari debeat, vel verbis expressis, vel per relationem ad aliud puta, Acta, Testamenta, Codicillos, ut. si condemnat Juxdex Reum in tantum, quantum in libello petitum fuit, *l. 6. §. 1. ff. de Rejudic.* non apparet, nomen sententiæ haud meretur *l. 6. ff. de Rebus Credit. l. 74. §. 1. l. 75. ff. de V. O l. 59. ff. de Rejudic. l. pen. & ult. C. de Sentent. quæ sine certa quantitate.* Sunt tamen aliquot Casus, ubi certam fieri sententiam impossibile est, nempe,

C

pe,



pe, 1. Si Expensæ & accessiones principaliter non petantur, ubi incerta toleratur sententia l. 3. de Fructib. & Lit. Expens. dummodò Executio Sententiæ certa sit, l. 1. 3. & ad has Anton. Faber in Cod. libr. 7. tit. 20. defn. 10. n. 1. Wurmser. libr. 4. tit. 6. Contr. 21. 2. Si alternativè quid petatur vel genus promissum sit, siq; rei petitiæ præstatio ex Electione debitoris pendeat, Donell. ad 3. d. §. 33. 7. vel si actione aliqua universali, puta, Petitione Hereditatis, causa noxali, Legato deductâ Falcidiâ agatur d. §. 33. 7. de Action. l. miles 6. §. 1. ff. de Re judicat. l. 7. ff. si pars Heredit. petatur, Ferrar in Pract. form. Sentent. defn. n. 41. Treutl. volum. 2. disp. 23. th. 4. lit. A. Exempla sunt, in l. 59. ff. de Re judic. l. 3. C. Quæ sine certa Quantit. Atq; id est, quod Gail. de PP. libr. 2. c. 4. n. 2. inquit: omnium maximè ad officium pertinere Judicis, taliter sententiam proferre, ut incertitudo, quæ obscuritatem parit, evitetur, certa q; & perspicua sit sententia.

§. 7. SIT (6) CONDEMNATORIA VEL ABSOLUTORIA dd. l. 1. 3. 4. ff. de R judic. l. 75. ff. de judic. In eum enim finem Litigantes in judicio, ut eorum unus vel, Actore sc. nihil probante l. 4. C. de Edend. absolvetur; vel, Actore puta, intentionem implente, l. fin. de Rei vind. neq; reo idoneè quid contra eam excipiente l. 9. C. de Except. condemnetur, de re controversâ certant. In Causis Appellationum sententia vel confirmatur vel infirmatur, quò Judex CONDEMNNO sive ABSOLVO TE verbis non utitur l. 6. C. de Appellat.

§. 8. IN SCRIPTIS deniq; (7) CONCIPIATUR requiritur l. 2. & 3. totoq; tit. C. de sentent. ex brev. recitand. ( nisi tamen causa levis & vilium sit personarum N. 17. c. 3. Authent. nisi breves. C. d. t. & eâ, quâ in judicio à partibus actum est; linguâ latina sit, vel græca, vel germanica, l. 48. ubi Donell. ff. de Re Judic. l. 5. C. de Sentent. & Interloc. omn. judic. Vultejus de judiciis libr. 3. c. ii. n. 62. Non tamen necessum est, ut omnia, quæ utrinq; sunt & ab Actore & à Reo allegata, inserantur, neq; etiam, quo minus id fiat, impedit. Ita enim Speculat. de sentent. §. ut a. & Ferrar. in Pract. sub Rubric. Form. Definit. Sentent. in suis Formulis. **Erkennen und sprechen Wir auf vorgebrachte Klage / darauf erfol-**



erfolgete Litis Contestation gegebene Antwort/einkommen/  
und geführten so schrift-als lebendigen Beweißthum / Pro-  
bationsschrift Exceptiones duplicas und Conclusiones,  
auch gethanen Schluß-und Rechtsatz vor Recht / daß ic.  
Veruntamen elegantius, hoc modo concipitur Sententia: Si  
(1) Processus succinctè describatur, puta, Auff Klage gethane  
Antwort/ und ferner Rechtliches einbringen: (2) Causa breviter  
exprimatur: In Injurien. Schuld-sachen (3) partes: N. Klagen  
an einen/ N. beklagte am anderntheil betreffende. (4) Judices  
nominentur: Erkennen wir/ Burgemeister und Rath der Stadt  
N. (ubi tamen in majori iudice secus est, ille n. sententiæ est  
preponendus.) Nach gehabten/ eingeholten Rath der Rechtsgelehr-  
ten vor Recht / & hæc sunt verba Cognitionis, quibus (5) deci-  
sionis verba subjungantur: Auß denen Acten allenthalben so viel  
zubefinden/ daß beklagter den Kläger die libellirte 1000 fl zubezah-  
len Schuldig. Atq; ita in condemnatoria: in Sententia vero  
absolutoria hoc modo: daß Beklagter von angestalteter Klage bil-  
lich zuerabinden wie wir ihn denn hiemit absolviren und erledigen.

§. 9. Deniq; (8) usitata annectatur Clausula von Rechts-  
wegen quæ aliud nihil quàm Judicis officium significat, *secun-  
dum Dd. quos citat Wehner in Observat. pract. pag. 351.* Itaq; ex-  
pressio Causæ, & ut decidendi ratio sententiæ inseratur neces-  
sarium non, sed in Arbitrio Judicis est positum velit nec ne, *c. 16.  
x. de sentent.* eam tamen si omittat, consultius facit Judex, ne e-  
jus expressio victo fortean cavillandi & calumiandi ansam  
præbeat & occasionem; Immo Judex cum sit sive debeat esse vir  
bonus Sententia ab ipso lata in dubio semper RITE atq; RE-  
CTE concepta præsumitur *l. 2. C. de offic. Civil. judic. id. c. 16. de sen-  
tent. & Re judic.* quanto ergò major Judex, tanto major tum  
quoad processum ordinem, tum quoad justitiam pro ejus sen-  
tentia est præsumptio *l. 1. de offic. Præf. Prætor. Gail. 1. observ. 144.  
n. 7.* Casus tamen sunt, ubi expressio, puta, in Appellationum  
Inepti libelli, expensarum causis, requiritur *per not. in d. c. 16. x.  
de Sentent. & Re Indic. c. Abbas 3. d. t. in 6to.* & hoc modo conci-  
pitur sententia: **Daß aus dieser/ auch andern mehr bewe-**  
E ij **gen**



genden Ursachen in Actis befindlich / so viel erscheinet / daß  
Beklagter von angefallter Klage billich zuentbinden sey /  
wie *Vir 2c. Rosbach. p<sup>mx</sup> Civ. tit. 71. n. 21.* Atq; hæc de priori  
Disputationis nostræ definitivæ scilicet sententiæ concipiendæ  
parte; sequitur jam

CAPUT SECUNDUM

*De*

CONCEPTÆ DEFINI-  
TIVÆ SENTENTIÆ  
PRONUNTIATIONE

*sive*

PUBLICATIONE.

*Thef. VI.*

Sententia Definit. ab ipso  
Judice <sup>(a)</sup> præsentibus <sup>(b)</sup>, atq;  
partibus citatis <sup>(c)</sup> linguâ usita-  
tâ <sup>(d)</sup>, ex breviculo <sup>(e)</sup>, justo lo-  
co <sup>(f)</sup>, ac tempore <sup>(g)</sup>, legenda &  
publicanda est.

(a) Non ab alio, l. 2. §. 4. s. ff. de Recept. qui Arbitr. l. 2. C. de  
Sentent. ex brevic. recidand. c. fin. de Sentent. & Re judic. in 6to zang.  
de Sentent. & re judic. c. 16. n. 77. quantumvis non ipsemet, sed ad  
ejus, aut partium consultationem alius, utpote, collegium Sa-  
pien;



piendum eam conceperit. Excipiuntur tamen in *Constitut. Imp. l. 2. C. de Sentent. ex brev. recit.* Præfectus Prætorio, & illustres aliæ personæ, quibus sententias suas definitivas per Secretarium sive Actuarium den Bericht Schreiber/ id quod & hodie ex consuetudine in omnibus tam Majorum quam Minorum judicum judiciis attenditur, recitare concessum est, *Bocer. class. 6. disp. 32. §. 21. §. seq. Chilian Goldstein in pract. p. 3. c. 65. n. 6.* Ita tamen ut sive unius (uti dictum supra,) §. 2. lit. B. sive plures sint iudices, omnes sint præsentibus, & recitationi intersint, *l. duo ex tribus 39 ff. de Rejudicata.*

(b) Sententiam ferendam esse præsentibus litigantibus quos causa contingit constat *ex l. 47. ff. de Rejudic. l. 6. §. 3. ff. de Confessis.* Hinc Lex XII. Tab. *præsentibus ambobus litem addicito.* Ipsi principales, vel alii, quibus hoc mandatum, ut suo nomine exaudiant sententiam, sint nihil inter est, contra absentem lata sententia non valet, *l. fin. C. si per vim. Cynus super. Cod. libr. 9. n. 3. pag. 537.* licet sit pro absente concepta, *l. ea que 7. C. Quomodo & quando Gail. 1. observat. 109.* Nisi tamen contumax extiterit, *l. 47. l. 5. ff. de Pœnis* quo casu hujus absentia Dei & Judicis præsentiam suppletur *l. properandum 13. §. 4. §. not. ff. de judiciis* vel crimen Læsæ Majestatis commiserit, *Angel. in d. absentem. §. ff. de Pœnis*

(c) Quam ob rem Litigantes ad audiendam sententiam citari necesse est, *Panormitan. hic. §. tenor, n. 12.* Quod vel à principio litis semel factum esse sufficit, ubi ad totam sunt citati causam, ut in plerisque; puta juris Sax. provincialibus judiciis; quia ibi semper hæc opponi solet clausula: *und rechtsches erkendniß gewärtig. sein* idemque in Camera *Gail. 1. obs. 109. n. 3. Mynsing. 3. obs. 71.* vel specialiter id fieri opus est, si citatio ad totam causam ab initio sit directa. pro ut in judiciis Territorii Sax. inferioribus obtinet, dummodo de jura quidem civili sit trina, vel peremptoria trium citationum spacium complectens, *d. l. ad peremptorium 68. ff. de judic. Speculat. in. tit. de Sentent. §. juxta n. 21.* Et hoc posterius etiam de jure Sax. observatur *Churf. S. appellat. Ordn. tit. von ausbringung der ladung, ibi. Es sollen die Citationen pro ut supra §. 5. pluribus dictum est, Et*



sicut in transmissione Actorum ad inrotationem, & supra, ita etiam ad resignandum & publicandum consilium Prudentum citatione opus est, ut acta ob signata presentibus partibus, vel tantum citatis aperiantur, ne aliqua in iudicem cadat suspicio, Schrader, d. loc. n. 25. Excellentissimus Dn. D. Ledererus d. disp. th. ii. lit. c. hæc si omittantur, ipso jure dicitur sententia nulla, Berlich, p. i. Concl. 59. n. 18. Maximè vero si utraq; pars, tametsi legitime citata abfuerit, tot. tit. C. quomodo & quando Judex sent. proferre deb. Itaq; facta compartione Sententia est publicanda.

(d) Eà scilicet quâ concepta est linguâ, quod ex iudicii stylo repetendum; non obstante, quod olim à Romanis Magistratibus latinâ, l. decerta 48. ff. de re judic. postea verò græcâ interponebatur sententia, linguâ constit. imp. n. l. iudices, 12. C. de Sentent. & interlocit. omn. judic. Hillig. ad. Donel. libr. 28. c. 3. lit. K. & seqq.

(e) Hoc est, brevi charta, ex scripto recitetur, partibusq; prælegatur oculis corporeis, l. ult. c. de convent. Fisc. debit. Roland. à v. ille, consil. 41. n. 2. & seq. pag. 176. Non enim omnis vox, non omnis iudicis voluntas, sed quæ causâ cognitâ, ab ipso iudice de libello clarius per literis recitatur, sententia est, arg. l. 14. ff. de Re jud. l. ex. stipulatione 7. C. de Sentent. & interloc. omn. judic. in tantum, ut ea quæ ante scriptâ non fuerit ne quidem nomen sententiæ mereatur, nec ad rescissionem perperam Decretorum Appellationis solennitas requiratur l. 1. & 2. C. de Sentent. ex brev. recitand. C. de cominat. epistol. program. conceptorum enim in scripturam Redactio pro forma requiritur, & est de juris solennitate, c. fin. de re judic. in 6to. c. 1. de sentent. Excommunicat. in 6to.

§. 1. Atq; hoc ipsum etiam locum habet in Lectione, ita ut sententia scripta, nec lecta non sententia, sed ejus præparatio sit, d. l. fin. C. de cominat. Episc. Nov. Leon. 45. Gothofr. ad Rubr. C. de Sentent. ex brev. recit. lit. C. Pantzschman libr. 2. quest. jur. contr. q. 3. n. 29. pag. 66. Secus tamen est in modici momenti & vilium personarum causis, Nov. 17. c. 3. Nov. 28. c. 3. in quibus expresso partium consensu solennitas scribendi omitti potest l. ult. §. ult.



ult. C. de Privileg. Scholar. Hilliger ad Donell. d. libr. 28. c. 3. lit. J. cum itaq; sententia non nisi de scripto sit ferenda, isto autem fortean amisso dubitetur an lata fuerit, quæritur, Num possit probari sine scripto & per Testes? Dicendum posse. *textus est in c. 6. cut 16. de sent. & Rejudic.* ratio hîc videtur esse perspicua, & eadē cum testamento scripto, si quæratu amissis tabulis testamnetumne sit factum nec ne? quod testibus probari potest, siquidem ibi, non de substantia sive forma sententiæ testamenti, sive de probatione facti quod & testibus & instrumentis probari licitum est, agitur, Giphani. *de ordin. judicior. p. c. 21. p. m. 156.*

(f) Id est, in publico & consueto iudicii loco *l. 29. ff. de iudic. l. pen. ff. de just. & t. l. cum sententiam 6. C. de sentent. & interlocut. c. perniciosum 18. q. 2.* qui olim Comitium, Basilica, hodiè porticus regia dicitur, teste Justinian. *Nov. 82. c. 3.* nisi Necessitas ex peste, ruinâ, exurgens aliud suadeat, quo casu si protesta- tur, Judex alium eligere poterit. *c. Statuimus 13. de offic. delegat. in 6to.* Judex verò Extraordinarius ad unam causam, nec ad cer- tum locum Delegatus ubiq; locorum, dummodo congruus sit litigatoribus, & sine ipsorum Incommodo fieri queat judicare potest, *l. si locus 59. ff. de iudic.* etiam extra Delegantis Territo- rium, sine ipsius territorii Domini concessione si modo cum partium fiat consensu *textus est in c. statutum ij. §. in nullo, de Re- script. in 6to.* quod idem in Episcopo plures terras in suâ Diocesi habente, procedit, *c. cum. Episcopus de Offic. ordin. in 6to. & Am- pliari quo ad Arbitrum, honestum & opportunum sibi & litigatoribus locum eligentem, potest l. 21. 1. So. in fine & §. seq. ff. de Recept. qui Arbitr.*

(g) Die Juridico non feriato ferenda est sententia *l. 1. de Feriis. l. si ut proponit 4. C. Quomodo & quando Judex.* In tan- tum, ut vulgò æstimatum sit, non posse eam ad rem renuncia- ri feriis *l. si feriatis 6. ff. de Feriis. l. dies, fin. C. eod.* Quod tamen Consuetudo observat aliter. Et si forsan die feriato sit lata, eandem poterit iterum revocare & repetere Judex die non fe- riato, *l. 46. ff. de Rejudic. l. qualem 19. §. ult. ff. de Recept. Qui Ar- bitr.* Nam qui repetit, nihil de novo dat, vel facit, sed datum vel factum repetit, idq; ex officio suo nobili, ne nullitas com- mittatur



mittatur *l. heredes palam 21. §. 1. ff. Qui Testament. facere possunt.*  
Cæterum Arbitrator in omnibus feriis pronunciare potest,  
quia coram eo iudicium non est, sed quædam quasi transactio  
& amicabile compositio quæ nocte fieri potest *l. 21. C. de trans-*  
*act. Giphani. de ordin. iudicior. c. 21. §. pag. m. 157.*

§. 1. Interdiu, hoc est tempore matutino, meridiano,  
vel ante crepusculum ferri debet, *Nov. 82. c. 3. l. 2. §. & quia 31. ff.*  
*de orig. jur. c. consuluit 24. X. de Offic. Delegat. non verò noctu, d.*  
*N. 82. c. 3. Vant. de Nullit. tit. ex defectu juris dict. n. 132. versu, sive*  
*exemplum ponas. & sic lata nullius valoris est, Marant. in spec.*  
*p. 6. n. 92. Nisi tamen necessitas, vel res tempore peritura, vel*  
*aliud in morâ sit evidens periculum, quibus casibus neq; loci*  
*ut dictum, neq; temporis ratio habenda est Bl. in l. casus 8. C. de*  
*Testament. Dan. Moller. libr. 3. Semestr. c. 44. n. 4. §. seqq.*

§. 2. De hodierna observantia Subscriptio iudicium mi-  
norum, maiorum vero sigillatio requiritur, ne si temerè iudi-  
catum sit, postea sententiam suam inficiari queant iudices, *te-*  
*xus est in Nov. Leonis 45. Hilliger ad Donell. d. libr. 28. c. 3.*  
*lit. 1.*

### *Thesis VII.*

Definitiv. sententiæ gene-  
ralis; sopire lites, <sup>(a)</sup> Specialis  
verò Finis, absolvere vel con-  
demnare <sup>(b)</sup> est.

(a) *l. 19. §. 2. ff. de Recept. Arbitr. l. 8. C. de Rebus credit. c. iur-*  
*gantium. 2. X. de Sentent. & Re iudic. Wesenb. w. b. t. n. 8. Et si us-*  
*piam, sanè hîc verbum PROPERANDUM l. 13. in pr. C. de iudic. à ju-*  
*dicibus quàm diligentissimè est observandum, ne lites fiant*  
*immortales, cui præsentissimo malo nervum incidit sententia*  
*hæc nostra definitiva, quæ litium decisionem tanquam sco-*  
*pum*



pum exosculatur avidè, l. eos. 6. C. de Appellat. c. finem litibus X de Dolo & contumacia.

(b) Ad obtinendam enim, mediante iudice vel condemnatoriam vel absolutoriam, à Litigatoribus suscipiuntur lites, Marant. iii. de sent. n. 112. & lata ab eo sententia statim cessat ipsius officium, illoq; functus esse dicitur l. Judex 55. ff. de rejudic. ita ut ejus corrigendæ aut immutandæ facultatem amplius non habeat quamvis id quod deest, supplere non prohibeatur d. l. judex 55. c. quod bene 6. q. 4. c. in literis X de officio Delegat. Secus tamen in inter locutoria, quam Judex corrigere potest, l. quod jus sit. 14. ff. dt. Pontifex verò utramq; corrigendam reservavit, uti textus est in e. cui olim. X de Re judic. c. tum ex literis X. de in. integer restitut

### Thesis IIX.

Definitivæ effectus est <sup>(1)</sup> esse stricti juris <sup>(a)</sup> <sup>(2)</sup> post decendium transire in rem Judicatam <sup>(b)</sup> <sup>(3)</sup> jus inter partes facere <sup>(c)</sup> <sup>(4)</sup> non posse retractari <sup>(d)</sup> <sup>(5)</sup> interrumpere Præscriptionem <sup>(e)</sup>.

(a) l. 1. C. si plures un. sentent. Wesenb. in π. n. 8. Bart. in l. 2. S. item n. 5. si quis in jus vocat.

(b) Nisi enim sententia Appellatione intra tempus lege definitum impugnetur, res judicata dici incipit, itemq; in rem Judicatam transire, nobis in ihre Wirksamkeit gehen / N. 23. c. 1. N. 19. c. 4. nec ineleganter Gothofred. in not. suis ad l. 1. de Re judic. lit.



*ut. G.* Sententiam à Re judicatâ distinguit, ita sc. quod sententia per modum agentis vel instrumenti; Res verò judicata per modum patientis se habeat, cujus materia sit ipsa controversia, in qua etiam sententia, quæ & natura & tempore prior est, atque res judicata, quæ sententiam sequitur, consistat, non aliter quàm ut *Causa & Effectus tit. C. de Execut. Rei judic.* Si itaque per appellationem vel de Jur. Sax. Leutationem, sententia suspensa non fuerit, tunc ob condemnati silentium habetur pro veritate *l. fin. C. de sentent. quæ sine certâ Quant. l. ingenium 25 ff. de Statu Homin. l. 207. de R. J.* hoc ipso enim sese debitorem constituit, inq; id quod non erat, consentit *arg. d. l. fin. C.* non aliter, quàm qui rem suam usucapi patitur, ex quo rem alienasse rectè dicitur. *l. alienationis 28. de V. S.* etiamsi attentâ ipsâ veritate naturali vera non sit, sustinetur tamen veritate civili, cui idem, immò major est Effectus. Atq; hoc propter rerum judicatarum Authoritatem *l. servo invito 65. §. cum Prator. ad S. C. Trebell.* quæ ut quod jus non est, jus sit & fiat, adeoq; de non Ente Ens, de indebito debitum *l. cum putat em 36. ff. Famil. Herisc.* ut nimirum finis aliquis sit litium, facit, *l. fratris 10. C. de Transactionib.* Hinc est quod jus facere dicatur sententia.

(e) *l. si servus 50. §. 1. ff. de Legat. 1. l. 14. ff. de Appellat. l. 17. §. 1. ff. de inoffic. Testam.* non equidem inter omnes, sed litigatores tantùm *d. l. si servus §. 1.* Effectus namque sententiæ tantus est, quanta est juris ac legis respectu litigantium, v. gr. Si Judex Dominum aliquem pronunciet, cum esset inter duos de Dominio controversia, is secundum quem judicatum fuit habetur pro Domino, respectu adversarii, quem iterum de Dominio agere conantem Exceptione Rei Judicatæ repellit, alium verò agere volentem non repellit, quia sententia non facit jus, uti lex inter omnes.

§. 1. Quod tamen secus est, si excipiatur de statu, puta, aliquem servum, filium &c. esse, hæc sententia inter omnes jus facit, *l. 207. de R. J. l. 28. ff. de Statu Homin.* nam Res in hoc casu pro veritate inter omnes habetur, in aliis verò causis tantum inter litigantes *d. l. si servus §. 1. de Legat. 1.* Atque sic non obstat *l. pen. de his qui sui vel alien. jur.* sententiâ scilicet latâ nihil  
omi-



ominus de veritate quærendum esse, & ob id veritati præjudi-  
cium non facere, licet enim Judex alicui alimenta præberi de-  
creverit, ex hoc tamen veritati h. e., status quæstioni præjudi-  
cium non facit, neq; eum esse filium consequens est *l. si quis à,*  
*5. §. si vel parens, 8. Et Gothofr. ibid. lit. L. de agnoscend. vel alend.*  
*libb.* Nisi tamen collusio de Statu intervenerit *l. 3. ff. de Collus.*  
*detegendâ.*

§. 2. Itaque salva manet juris regula: Res inter alios  
acta, aliis non præjudicat *l. 2. §. 4. C. Quibus res judic. non nocet.*  
*c. penult. X. de Re judic.* Namq; sententia juris est stricti, & quo-  
ad fieri potest, semper restringenda, *Suarez. Comm. Opin. tit. 5.*  
*n. 102.* semperq; pro hâc, quod justa ritèq; per omnia observata  
sit præsumendû, *l. fin. §. ult. ff. Quod metus Causa. c. 13. in fin. §. c. 16.*  
*in fin. X. de Sentent. & Re judic.* dummodo in forma exhibeatur  
probante & publicum edatur sententiæ Instrumentum Me-  
noch. 2. præsumpt. 68. n. 22. Zanger. de Sentent. c. 16. n. 10.

(d) Si scilicet in rem judicatam abierit, licet noviter re-  
perta instrumenta, vel aliæ probationes & testes adsint, *l. sub*  
*specie 4. C. de Re jud. l. si Patronus 12. §. 3. ff. de Bonis Libertor. &*  
*tot. tit. C. sententiam rescindi non poss.* ratio est, quia alioqui nul-  
lus esset Litium finis, Et Status Reipubl. qui alias rebus judica-  
tis continetur, quàm maximè periclitaretur *Cicero pro Sylla.*  
Idq; est, quod neq; Transactiones rescindi possint, utpote quæ  
sententiis comparantur *d. l. fratris 10. C. de Transactionib. l. post*  
*rem ff. d. tit. l. 23. §. 1. ff. de Condictio. indebiti.* Restitutioq; adver-  
sus rem Judicatam ægrè concedatur, *tit. C. si adversus Rem judic.*  
Et hoc est regulare. Sunt tamen casus ab hâc nostrâ Regula  
excepti. (1) Si ex falsis instrumentis vel testimoniis judicatum  
fuerit, *tot. tit. C. si ex falsis Instrum.* ubi duo, alterum, quod com-  
missum sit falsum, & quod Judex ex hoc judicaverit alterum,  
concurrere debent, *l. 3. d. 1. Berlich. p. 1. concl. 61. n. 37.* (2) Si ju-  
dicatum ex jurejurando sit, & postea veritas liquidò apparue-  
rit, sententia rescissa causa de novo, & ex integro agi potest,  
*l. admonendi 31. ff. de jurejurand.* (3) Si nova sint reperta instru-  
menta & probationes in publicâ *l. Imperatores 35. ff. de Re judic.*  
& Fiscali causâ, dummodo causâ cognitâ evidens appareat Rei-  
publ.



publ. utilitas, d. l. Imperatores. (4) In causis Criminalibus pu-  
ta, corporis sententiâ afflictivâ, l. i. §. ult. ff. de *Question. l. Divi  
fratres ff. de Pœnis*. idq; in favorem reorum, in quibus ex gratia  
speciali per solum Principem, non autem Judicem aut Magi-  
stratum condemnato subvenitur & retractatur sententia *dd. ll.*  
Idem etiam in pœnâ honoris privativâ vel aliâ latâ super crimi-  
ne dici posse, cum Panormitano statuimus, .c. *consanguinei n.*  
*12. Tholos. in Syntag. jur. p. 3. libr. 50. c. 1. n. 35.* (5) Item si lata sit  
sententia ex præsumptionibus *l. 34. C. ad L. Jul. de Adult.* nisi sint  
certæ & urgentissimæ præsumptiones, quarum exempla pro-  
ponit Goeden. *in consil. p. 256. c. literis X. de Præsumptionibus.* aut  
opinionem peritorum in aliqua, utpote, medicâ, obstetriciâ, arte  
Marant. *in specul. p. 2. princ. p. 3. m. 128. & seqq.* Potest enim revo-  
cari si quâ apparebit opinio ulterius periti rectius sentientis, ni-  
si tamen de utriusq; partis voluntate assumpti sunt Jason *in l.*  
*admonendi n. 3. & 41 ff. de jurejur.* (6) In causa Excommunica-  
tionis *c. ad reprimendum. de Officio Ordin.* (7) In Causa Matri-  
monii, Marant. *c. de Sentent. Wesenb. π. h. t. n. 8.* Dummodò  
non sit pro matrimonio; aut in gradu non prohibito, lata sen-  
tentia, hoc casu enim per Decemil lapsum Non Appellans de  
novo in matrimonium tacitè consentire videtur, Gail. *1. obs. 112.*  
*n. 5. & 7.* plures possunt videri apud Giphanium *de Ordine judi-*  
*cior. c. 22.*

(e) Tricennalem scilicet, *l. pro emptore 2. §. 21 ff. pro Em-  
ptore. Andr. Rauchbar p. 2. q. 28. n. 4.* cum titulo & bonâ fide &  
quam favorabilem vocant, quæ alioquin neq; citatione, neq;  
litis contestatione, sed hac sola Re judicata h. e. sententia de-  
finitiva interruptitur Gail. *1. Observ. 74 n. 22.* rationem ibi-  
dem addit hanc, quia hujusmodi præscriptio in favorem præ-  
scribentis comparata est, *l. 28. ff. de R. V.* Excellentissimus Dn.  
D. Ledererus *in d. disput. th. 13. lit. f.* Qui ita quoque modo rem  
judicatam & per consequens jus obtinuit, illi quoque tum Ex-  
ceptio litis finitæ, si ob rem judicatam conveniatur, *tit. ff. de*  
*Except. Rei judic.* sed & Actio judicati, ut satisfiat sententiæ, da-  
tur, Panormitan. *hoc §. sicut nobis, n. 3.* Vultejus *de judiciis libr. 3.*  
*c. 12.* ubi & harum Effectus videri poterit, *n. 65. & seqq.* Huc usq;  
de



de Sententiæ definitivæ conceptione, Publicatione, & Effectibus. Evenit interdum imò multoties, ut vel per Imperitiam, & malitiam, vel negligentiam tum judicis, tum partium sententia neq; ritè neque reètè feratur, salubriter constitutum est, ne quis in jure suo explicando præcipitetur, alienamve culpam luat, sed potius cuique id quod suum est, tribuatur, suumque finem Justitiæ & æquitatis puta, administrationem, Jurisprudentia consequatur, ut essent Remedia, quibus sententiarum latarum impugnandarum jus esset, ipsasque à viribus rei judicatæ suspenderent, exinde ad duo capita revocantur, itaque

*Thesis IX.*

**Impugnatur sententia vel  
ex NULLITATIS <sup>(a)</sup> vel INIQUITATIS <sup>(b)</sup>  
vel utriusque simul <sup>(c)</sup> capite.**

(a) Hæc potissimum, uti diximus, processum non observatum arguit, unica & simplex, ex proponendi tamen modo, varia est, Nam quolibet gravato vel per modum Querelæ, vel Exceptionis modum Vant. *de Nullitat. tit. quid sit Nullit. Gail. i. observat. 70.* tum principaliter, tum incidenter proponi potest d. Vant. Rosbach. *prax. Civ. tit. 72. n. 5.* Et toties locum, quoties defectus aliquis est, etiam unicus ad iudicium legitimum, siquidem Nullitas vel ex unico substantiali neglecto committitur, Unde tot sunt Nullitatis proponendæ mediæ, quot sunt Processus judiciari requisita necessaria.

§. 1. Hinc Nullitas causatur, nullaque dicitur sententia vel (1) RATIONE PERSONARUM JUDICIUM CONSTITUENTIUM, tum judicis, tum & litigantium & principalium & accessoriarum &



& quidem propter defectum aliquem naturalem, vel civilem, supra th.2. An autem sententia sit nulla si à iudice pecunia corrupto sit lata? Affirmamus, siquidem venalis non sit *l. venalis* 7. ubi Cynus C. *Quando provoc. non est necess. c. cum ab omni X. de vita & honestat. Cleric.* Hinc Iustitia virgo incorrupta dicitur Petr. Tholosan. in *Syntag. jur. p.3. libr.50. c.1. n.14.* Et veteres Iudicum Statuæ manibus carentes ponebantur. Vel (2) RATIONE PROCESSUS. quia sententia iudicii ordine non servato nulla est, *l. prolatam C. de sentent. l.1. C. de Execution. Rei jud. de quibus supra t.3. & seqq. Marant. in specul. suo sub tit. de Sentent. Speculator & Ferrar. tit. Sentent. definit.* Nobilissimus atque Excellentissimus Dn. D. Henricus Goselius PP. Præses, Patronus, Promotor & Præceptor æviternum colendus in *Disputat. sua de Nullitat. Sentent. th.2.*

§. 2. Cæterum si lata sententia sit à Delegato, non cognoscit delegatus Gail. *1. obs. 127. n.5.* Mynsing. *5. Observ. 92. n.7.* Ast si à Iudice Ordinario, in arbitrio est gravati, utrum coram eodem Iudice, an verò coram superiori conqueri velit Gail. *d. l. n.6.* quod posterius etiam in foro receptum dicit Gail. *d. l. n.7.* Secus verò si in modum Exceptionis proponatur, tunc enim coram eodem ferè semper proponitur. Intentatur etiam Nullitas contra tres conformes sententias si notoria & evidens sit Gail. *1. observ. 42. n.11.* Mynsing. *4. Observ. 64. & 6. observ. 4.*

§. 3. Fatale hujus Querelæ de Jure Communi est spacium 30. annor. *c.16. quest.3.* Wesenb. in *π. ff. de Re judic. num.10.* Gail. *1. observ. 42. n.8. & observ. 127. n.18.* siquidem officium Iudicis nobile tanto temporis decursu extinguitur, dummodo tamen causa principalis de qua lata est sententia, fuerit Tricenalis, Nobilissimus ac Jurisconsult, Dn. D. Johan. Bartholomæus Reusner in *d. disp. de Fato thes. 95.* De Jure Provinciali Sax. cum admodum odiosa sit, auctoritatemque Iudicis pollutam q. reddat, fatale hoc restrictum est, Et in his Curiis, ubi solennes per tempora certa habentur sessiones & dies Judiciales in proximo abhinc termino est proponenda, Victorque prius ad eum citandus. In aliis verò Iudiciis ubi Iudices quotidie



tidie sui facere solent copiam, duplicatus Terminus Saxonicus  
etne doppelte Sächfische Frist ad allegandam Nullitatem conce-  
ditur, N. G. D. tit. 38. von der Nullität Carpzov. p. 1. Constit. 26.  
def. 21. Berlich p. 1. Concl. 61. dictus Dn. D. Reusnerus d. l. th. 95.  
§ 178. In Camera Imper. Nullitates non attenduntur, Nisi  
ex Incompetentia Judicis Ord. Cam. p. 3. tit. 34. Mynsing. 1. ob-  
serv. 27. Gail. 1. observ. 75. n. 5.

(b) Quæ haud observatâ arguat Causæ merita cuius re-  
medium varium multiplex est, ut pote; I. APPELLATIO à mino-  
re iudice ad Majorem ratione gravaminis provocatio dicta  
l. 68. ff. de Appellat. Rosbach. prax, Civ. tit. 73. n. 2. Hujus copia si  
forte haberi nequeat, coram Notario & testibus, aliisq;  
fide dignis personis appellare licet l. 1. 8. 7. §. 10. ff. Quand. appelo  
land. sit Wesenb. in π. de Appellat. n. 9. & firmatum de Jure Comm:  
c. 73. X. de Appell. l. 7. ff. eod. l. 2. C. De his qui propter met. Jud. Ca-  
merali: C. G. O. p. 2. tit. 9. §. item so soll einen jeden Mynsing. cent.  
4. obser. 44. tum Saxonico est: Constit. Saxon. 20. part. 1. Appel-  
lat. Ordn. tit. von der Appellation, wie die angenommen §. die  
weil aber / dummodo Appellationis schedula Notarii instru-  
mento fuerit inserta, Mynsing. d. cent. 4. obs. 45.

§. 1. Et ut rite procedat, Fatalia tum Appellationis in-  
terponendæ; ubi definitum hodiè Decendum est. N. 23. c. 1.  
Auth. hodiè C. d. t. §. c. 15. X. de sent. & Rejud. Ordin. Cam. part. 2.  
tit. 29. §. so sollen auch. Churf. S. Appellation Ordn. d. 1. quod à die  
vel latæ sententiæ vel Notitiæ de momento ad momentum, in-  
clusis feriis, currit. d. N. 23. c. 1. §. l. 1. C. de Feriis. l. 3. C. de Dilationib.  
Rosbach. prax. civ. tit. 73. n. 24. tum (2) petendi Apostolos, i. e. literas  
testimoniales, ut iudici ad quem, appellatum sit vel non, per  
hos constare possit, ubi spacium 30. dierum, à die latæ senten-  
tiæ, sive scientiæ denuerandum, quod etiam interponendæ  
complectitur, definitum est l. 24. C. de Appellat. Wesenb. π. de  
Appellat. n. 6. Idem de jure Sax. observari testatur Christoph.  
Fride. in process. judic. von Process in der andern Instanz. in pr.  
secus est de Jure cam. ubi etiam absq; istis Apostolis Dimisso-  
rali-



rialibus accipiuntur Appellationes *ord. cam. p. 2. tit. 30. Gail. 1. ob-*  
*serv. 139. tū(3) introducenda: ubi terminus olim erat arbitrarius gl.*  
*in. l. 5. C. de Appel. c. 4. X. eod. De jure Cam. 6. mensiū, ord. cam. p. 2. tit.*  
*3. §. wūrde aber, qui à die interpositæ Appellationis currit, Gail.*  
*1. obs. 140. n. 1. de jure Sax. unius mensis, qui à die quo dati sunt*  
*Apostoli currere incipit, Appell. ord. versu auch darinnen/ liverò*  
*coram Notario & testibus, à die interpositæ computandus est*  
*d. 1. §. die weil aber auch/ Carpz p. 1. constit. 20. def. 9. Introducta sit*  
*& recepta appellatione inhibitiō ad Judicem à quo de jure*  
*Cam. intra 6. Mensium: de jure Sax. unius mensis spacium quo*  
*impetranda simul ac insinuanda venit, ne lata sententia man-*  
*detur executioni, emittatur, necessum est, Carpzov. d. l. n. 1.*  
*tūm Justificandæ Appellationis probe observanda sunt, ubi de ju-*  
*re comm. Annus, & ex justa causa Biennium, definitum est,*  
*quod currit à die Interpositæ, simul ac Fatale Apostolorum*  
*petendorum 30. dier. & introducendæ complectitur c. sicut. 3.*  
*X. de Appell. Gail. 1. obs. 141.*

II. SUPPLICATIO, quæ præces exhibitæ judici sunt, pro  
reformando eo quo quis gravatum se dicit, & de qua non  
est appellandum *l. 1. ff. A quibus non est appelland. eaq; sit vel ab*  
*inferiore ad superiorem cum appellationi non datur locus,*  
*hodiè in imperio Rom. Revisio dicta, Nov. 19. c. 5. & Aurb.*  
*quæ supplicatio, C. de Precib. imper. offerend. ord. cam. p. 3. tit. 53, vel*  
*ab eodem, ad eundem, cujus tamen nisi recepta expresse*  
*est nullus est usus.*

III. REDUCTIO AD BONI VIRI ARBITRIUM quæ à laudo  
Arbitratoris ad Judicem competentem est Provocatio, in effe-  
ctu cum appellatione eadem, præterquam quod non nisi 30 an-  
nis præscribatur, *Giphan. de ordin. judic. c. 14.*

IV. RESTITUTIO IN INTEGRUM quæ adversus quamvis  
sententiam peti potest, & prætor in pristinum qua fuerant an-  
te rem judicatam, statum, implorantes reponit, perinde ac si  
sententia nunquā res Judicata facta fuisset, *c. t. C. si adversus rem*  
*judicatam. c. auditis X. de in integr. Restit. l. 13. §. ult. ff. de minoribus*  
*Wesenb. π. de Restitut. in integr. n. 3. Extra ordinarium est reme-*  
*dium*



dium & ob id, non nisi ex pragnanti causa, deficientibus aliis omnibus remediis conceditur. Quadriennio conclusa est, à die sententiæ contra majorem lata, si vero sit contra minorem, ex die quo major est factus computando *l. fin. C. de tempor. in integr. restitut.* Quibus Adjungi poterunt.

V. Juris Sax. remedium LEUTERATIO, cui affinis quodammodo erat Sententiarum Declaratio ratione verbi obscuri *l. 4. §. 1. ff. de appellat. Rosb. pr. civ. iii. 77.* & OBERLEUTERATIO hoc est Declarationis Declaratio, quæ ventilatur causa in Aula; quæ per omnia & in omnibus appellationi æquiparantur, iisdemq; constringuntur regulis. Nisi, quod Appellationes ab uno ad alium; Leuteratio vero non nisi ab eodem ad eundem, quod secus est in oberleuteratione, fiat, *N. O. D. iii. von der Leuterung und Oberleuterung p. 1. const. 19. & 16. Moller. n. 2. Wittenbergische Hoffg. D. iii. von der Leuterung §. und nach dem auß! Welenb. n. de Re jud. n. 10. Heig. p. 1. q. 10. n. 54. & seq.* Qui autem rescindi petit sententiam, ante omnia se aliquid habere cur sententia non ita ferri debuit, summarie probare debet. *Modest. Pistor. conf. 64. n. 80.*

(c) Nullitas enim & Appellatio, simul ac Restitutio in integrum cumulari inter se invicem possunt *c. restitutus de Restitut. in Integr. Mynsing. 2. observ. 25. Fridericus 3. Process. Cam. ii. n. 10. Vultejus de judic. libr. 4 c. 1. n. 30.*

### Thesis X.

Sententiæ definitivæ Ad-  
junctum Executio <sup>(a)</sup> est.

(a) Rebus Judicatis esse standum, easq; rescindi seu restaurari haud posse, dictum Thesisibus præcedentibus est, eas etiam exequendas, *notat Cuiac. in par. C. de Executione Rei judic. ad effectum perducendas, l. properandum 13. §. fin. autem. C. de judiciis.*

E

esse



esse consequens & necessarium omnino est, ut ita sese invicem, quasi vinculo connexa consequantur Sententia, Res judicata, & rei deniq; judicatz executio. Frustra namq; judicia instituta essent; frustra itidem sententiz proferrentur, & litibus hac finis imponeretur, nisi id quod est judicatum, mandaretur executioni, *c. cum aliquibus X. de Re judic. c. sicut 2. q. 1. Ordin. Cam. Imperial. p. 3. tit. 48. de execut. Sentent.* huc siquidem res tandem omnis redit, ut cuiq; quod suum est, tribuatur, & justitia administraretur quam celerrime. Itaque licet iudex post sententiam definitivam officio functus suo dicatur, *l. iudex 55. de re judic.* illud tamen post factam Executionem intelligitur, *Par. normit. in c. in literis, X. de Offic. Delegat.* quæ ab eodem, qui sententiam tulit, Iudice, (cujus officium quod pro Executione imploratur, est nobile,) in convieti & condemnati principalis *l. fin. C. de Exec. rei jud.* non verò Procuratoris sive defensoris omnia Executioni subjecta bona, incipiendo à mobilibus; & ad immobilia, dein jura atque nomina, *l. 15. §. 2. ff. de Re jud. l. 5. C. de Execut. rei jud.* his verò non sufficientibus, ad personæ capturam progrediendo *l. 1. C. qui bonis cedere poss.* Quomodo hodie? de hoc vid. *d. Const. Elect. 32. p. 1. N. G. D. d. tit. 39. §. Anfanglich zwar. & seqq.* ubi tamen eximuntur instrumenta aratoria *l. 7. C. Que rei pignori oblig. poss. militaria l. 4. C. de execut. rei jud.* quod ad libros Studiolorum extendi poterit. *gl. in l. 125. de V. S. idq; verum est, si alia bona habeat, arg. l. 4. C. de Execut. Rei judic.* per certum temporis spacium peragenda est, id quod in personali actione, à die condemnationis, vel, si provocatum sit, à puncto Confirmationis quadrimestre, tum à Legge XII. Tab. teste Agellio 20. *Noct. Attic. 1.* tum comm. Jure *l. 2. C. de usur. rei judic.* constitutum tempus est. Secus Jure Sax. ubi in Realibus auf dingliche Klage ad evitandam Executionem XIV. dies *LandR. lib. 1. artic. 5. Constit. Elect. p. 1. Const. 32. N. G. D. tit. von der Execution 39. §. nehmlich wann ein Bittel;* In Personalibus verò auf Persöhnliche Klage terminus Saxonicus VI. Septima. & 3. dier. definitus est. *Carpz. ad d. Const. 32. defm.*



defu. 3. & seq. Excellentissimus Dn. D. Johan. Bartholomæus  
Kensner in d. sua de Fato inaug. disp. tb. 180. & seqq.

Et hoc regulare est; Sed sunt Casus ubi Victor propria au-  
thoritate possessionem ingredi valet, utpote: (1) Si Judex sen-  
tentiam ferens victori hoc permittat, l. antepen. C. solut. Ma-  
erim. (2) Si periculum sit in mora, & res tempore peritura  
Zafius in l. 15 ff. de Re Jud. n. 5. (3) Si Victus, ut id Victor faciat,  
consentiat l. ii. C. de Pignorat. Actione. Atque hæc  
de materia Sententiæ definit. pro ratione In-  
stituti dicta sufficiant.

Soli Deo Gloria.





5115

deus in se ipso. Excelentissimus Dn. D. Johann. Bartholomaeus  
Cancellarius de factis factis. die 10. Oct. 1699.  
Ejusmodi regulare est; sed hinc dicitur ubi Victor propriam au-  
thoritatem possessionem regni valeat; (1) si Index sen-  
tentiam daret ubi hoc permissum; & antea d. Johann. Ma-  
thias. (2) si periculum sit in mora, & res tempore peritura  
sit. (3) si Index sit in mora. (4) si Index sit in mora.  
conceditur in casibus huiusmodi. Atque hoc  
de materia sententiarum dicitur pro ratione in  
seu de istis sententiarum.

Soli Deo Gloria.






X 2615909


VDA











AUGURALIS  
CA

# SENTIA

TIVA

Assistente  
*simi Consilij Juridici  
in Academia*

*Excelsentissimo*  
**COSELIO**  
Curia Electoralis;  
iudicis Assessore

notore suo magno  
ando

A  
capescendis  
*bris*  
& pomeridianis  
*Examini*  
**EXZNO**  
perioris.

E  
Typogr. Anno 1654

37 1654 10  
12

